



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De plaga Domus Vilariensis, cap. 60

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

1. Cor. 5.

porrigant. CÆSARIUS: Verum dicis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Non solū Deus punit si instinctu auaritiæ dāna alijs inferamus, imò etiam si nostra auarè retinendo egentibus non impertiamur, vel exhibita immisericorditer ante tepus subtrahamus.

## CAPVT LX.

**I**N Brabantia domus est ordinis nostri, quæ Vila-rium dicitur, in qua hospitibus & agenis multa bona sæpe exhibita sunt, & adhuc quotidie exhibentur. Hoc anno, cum essent in eadem prouincia tempora cara, fratres eiusdem cœnobij summam annonæ suæ taxantes, & sicut mos est humanæ infirmitati, defectum timentes, ex diabolica vt patuit tentatione, subsidium quod pauperibus satis largiter impendere consueuerant, vsque ad messem subtrahere consiliati sunt. Eadem nocte, sicut retulit nobis quidam monachus, de eadem domo veniens, piscina, quæ erat intra claustrum, erupit, & per diuersas se diffundens officinas, grauiter illos damnificauit. Quod fratres, vt potè viri iusti & timorati, peccatis suis & maximè cōceptæ auaritiæ in pauperes deputantes, mutato consilio, sicut antè beneficia illis solita impenderunt. APOLLONIUS: Vellem nunc aliqua audire exempla de pœna auaritiæ in vita futura. CÆSARIUS: Hoc differendum est vsque ad distinctionem duodecimam, in qua tractandum est de pœna & gloria mortuorum. Interim tibi dicam quædam exempla contra auaritiam, vt cognoscas quantum boni, quantumve gloriæ consequantur hi, qui ab auaritia tentati, superati non fuerint.

## CAPVT LXI.

*Auaritia  
repugnā-  
tes remu-  
nerati.*

**A**BBAS quidam nigri ordinis, sicut retulit mihi quidam Abbas de ordine nostro, venit ad Abbatem quendam Clareuallis, dicens illi: Domine Abbas, date mihi falcem, & ego dabo curuum vobis baculum. Ille, quid facere vellet statim intelligens, virum suscepit, habitum mutauit, & quia hominem prudentem eundem esse considerauit, non multo post